



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus LIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

gitet, Deum offensum doleat. Tum enim, verus est dolor & perfecta conversio, tunc homo, fit ille unicus, qualis hodie Publicanus, antehac David Psal: 24 *Quia unicus & pauper sum ego.* Cui adscribens Cassiodor: *Quia unicus plus amatur, quia pauper plus doletur;* Unde, & cum adulteram, Christus absoluturus misericorditer esset, non prius id gratiæ præstitit, quam cum abiissent Pharisæi Ioan: 8. Et tunc relictæ sunt duo. *Misera & misericordia,* inquit D. Aug: Tract: 32. In Ioannem.



MODVS LIX.

Quando adagium, Proverbium, aut Paradoxon aliquod assumitur, cuius sensus explicetur atq; probetur.

P R A X I S.

In festo Trium Regum.

Quod in Polonia, usitato proverbio, Largum vesper nominatur

Accessus & Propositio. *Largum vesper, hodie occinimus, & largum vesper, mutuò gratulamur. Videamus cui, & quomodo, dies hodierna ferat largum vesper.*

Confirmatio, ab explicato Proverbio, per adjunctum, cui & quomodo.

Largum vesper, à tribus magis hodie Christo. Quid ni? Triplex munus assignat Jurisprudentia & Theologia, à lingua, à manu, ab obsequio. *Omnis hoc genere suam libertatem in Christum,*
tres

trēs Reges testati sunt, obtulerunt enim imprimis munera à lingua, cum ejus, Regiæ & divinæ dignitatis magnanimitate confessores adiere Jerosolymam dicentes: *ubi est qui natus est, Rex Judæorum.* Quid agitis O sapientissimi duces? non capit cælum duos soles, nec duos reges Imperium. Videtis, ut turbetur Herodes, & cum eo Jerosolyma, & Regem novum inquiritis? Nihil hæc illi æstimant, dum debitam Christo confessionem reddant, munus scilicet à lingua; & largum vesper. Obtulerunt item munus à manu, de quo apertè Evangelista: *Apertis thesauris suis Matt. 2. Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Regalis liberalitas & digna consideratū. Obtulerunt aurum, & in auro testimonium supremi dominii, in thure, decus summi sacerdotii; in Myrrha confessionem, divinè subsistentis, humanitatis. Obtulerunt aurum & in auro opulentiam suam, in thure dignitates, in Myrrha; spem immortalitatis incorruptibilis. Largum igitur vesper, iterum, de munere manus Christo à Magis. Largum denique vesper de munere ab obsequio, quod reddiderunt, ita ait sacer textus, *cum providentes odoraverunt eum.* O quantum in animis excitandis, fides vera valet, & quantum in iisdem effringendis, fides languida ac mortua! viderunt Reges, infantem involutum levibus panniculis, videmus & nos involutum, pannis accidentibus; viderunt illi in stabulo, nos in templis; viderunt illi in præsepio, nos in aris; viderunt illi medium inter bovem & Asinum nos mediū, inter sacerdotes, & princeps sacerdotū.

viderunt illi recenter genitum, nos in cælis regnantem: viderunt illi pauperem, nos omnibus dominantem, & heu! illi proidentes humillimè adoraverunt, nos templa & præsentem Majestatem, multis frequentissimè irreverentiis de honestamus. *Ossa ossa digna fossa, tot oculos habetis, & Regem non videtis* exclamavit impatiens olim aleator: sed potiori jure, id ipsum supra illas cervices inclamemus, quorum superba, ac insolentia capita, paratus est Deus conquassare, in hoc quoque Regum exemplo discant, quem cultum summo opifici & Domino debeant. Interea cedit adoratio Regia, in munus Christo, ab obsequio; & in largum vesper, at non finit se divina liberalitas ab humana vinci, ideoque ut à Regibus Christo: ita

Largum vesper à Christo Regibus 2. Paral. 9. cum venisset Saba Regina ad Salomonem, ut tentaret eum in ænigmatibus in Jerusalem, *dedit Regæ centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis & gemmas pretiosissimas.* Liberalia sanè munera, sed & reciproca liberalitate pensata V. 12. *Rex autem Salomon, dedit Regina Saba, cuncta quæ voluit, & quæ postulavit, & multo plura quàm attulerat ad eum.* An & Sabæi Reges, à Regina Saba? & plus quàm Salomon hic? ideoque dubio omni procul, quod receperint, quæ voluerunt, & quæ postulaverunt, & multo plura, quam attulerunt, triplici singulariter addita gloria 1. Quod minores, tulerint benedictionem majorum. 2. Quod insigniti sunt, titulo trium Principum fortissimorum. 3. Quod tulerint benedictionem trium Patriarcharum. Gen. 4. cum

4. cum

4. cum valedicens Jacob filiis Joseph posuisset dextram super Ephraim, minorem natu. *Non ita conuenit Pater dixit Joseph. Quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus.* Cui Jacob scio fili me, scio, & iste quidem erit in populos, sed frater ejus minor, major erit illo, & semen illius crescet in gentes. O Ephraim! O popule gentilis, sinistram merite! quas gratias hodie Deo referas? Ecce novus Jacob, & Jacobi autor Christus, ponit dextram supra te, ecce benedicit in tribus gentium Principibus tibi? Merito turbatur, posthabita Jerosolyma, sed laudent Deum omnes gentes, quia largissimum benedictionis in magis, cum ipsis magis, à Christo vesper accipiunt 2. Regum. 23, sitiens David exclamat. *O si quis mihi daret aquam, de cisterna, quae est in Bethleem.* Quibus auditis, terna exercitus decora, tres non jam curiatii nec Horatii, sed diuinis laudibus asserti. *Tres fortes, tres robustissimi, irruerunt castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Betleem, quae est juxta Portam.* O Bethleem! O domus vitæ! O salutis fons! quanta ad te siti anhelabat, extrema gentium necessitas? Ecce hodie tres, quiq; perrumpant. & id laudis ferant. *Tres fortes, tres robustissimi, quod est, à Christo veniens, illis, largum vesper.* Venit tamen & aliud scilicet benedictio trium Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Jacobi, quibus id promissum, ut fierent, Patres omnium gentium: sed non nisi in hodiernis magis completum, de quibus merito. D. Leo Ser. 2 Epiph. *Agnoscamus dilectissimi, in magis adoratoribus Christi, vocationis nostrae fideiq; primitias, &*

tantibus animis, beata spei initia celebremus. Exinde enim in beatam aeternitatem capimus introire. Et D. Aug. Ser. 30. de tempore. Illi primitia gentium, nos populi gentium; Largum inde vesper tribus magis, ad quos pro auro, omnium Christianorum principum diademata & sceptrata; pro thure, omnium sacerdotum, Episcoporum, Pontificum sacra, per Myrrha, omnium Martyrum confessorum, virginumque sanctitas, tanquam ad primitias nostras delata. Infelix mater, in felicissimam ediderat partum, cui nomen, Ose. 1. *Absq³ misericordia & iterum, non populus meus.* Cedat hic timor à nobis, quia in patribus nostris susceptis, impletur, quod item Ose. 2. promissum, *Et miserebor ejus qua fuit absq³ misericordia, & dicam, non populo meo, populus meus, es tu.* Largum igitur vesper à Christo tribus magis. Utinam verò sit, prout esse debet. Largum vesper à nobis Christo: si vicissim volumus Largum vesper à Christo offerri nobis. *Sitit Deus, sitiri ait D. Nazian. Orat. 40. & promptus est, nummum, regno rependere, cui census deficere non potest* inquit Chrysol. Serm. 23. sed hem! nostram parcitatem. *Sunt enim nonnulli haeretici* ait D. Gregor. homil. 10. in Evang. *qui hunc Deum credunt. Hi profecto ei thus offerunt, sed offerre etiam aurum nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc Regem aestimant, sed Deum negant. Illi videlicet, ei aurum offerunt, sed thus offerre nolunt. Et sunt nonnulli, qui hunc & Deum fatentur, sed assumpsisse carnem mortalem negant. Hi nimirum ei aurum & thus offerunt, sed offerre Myrrham*

Myrrham

ham assumptæ mortalitatis nolunt. O quot ex fidelibus hanc parcitatem imitantur! fateris & credis Christum Deum? sed non colis ut Deum, thesaurum, negas cultus debitum thus. Orationibus instas, & Divina curare videris, sed eleemosynam pauperibus subtrahis? Das thus; sed aurum negas. Eleemosynarius es, sed carnis licentiam non fugis: Das aurum, sed myrrham mortificationis negas. Eja Christiani, liberalem in Deum animum induamus, & quemadmodum Reges, pro largo vespere, largissimum tulerunt, ita nos relatueros, si prius, pro debito obtulerimus, confidamus.



MODUS LX.

Ducitur à partibus communibus Orationis. Exordio, Propositione, Narratione, Confirmatione, Confutatione, Peroratione: quas non ideò hic recenseo, quod omnes semper requiram, aut à se omnimodè distinguam: sed neque de iis disputandi cum Rhetoribus, mentem suscipio. Sentiant quod lubet. Ego finem assequor, cum ostendo, hac ratione, formari aptè sacram orationem
cujus non quoad formam, sed quoad
materiam, sit.